



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Fragmenta epistolarum Paulini Episcopi Aquileiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

Item Avitus.

Spiritum sanctum æquè patris & filii esse confiteor, eumque à patre vel filio similiter mitti. quod mecum prolatæ quoque Apostoli sententia videtur *Ioa. 14. & 15.* adprobasse. Nam legimus: *Paraclitus quem mittit pater in nomine meo.* Et alio loco: *Quem ego mittam vobis à patre.* Nec tamen, ut nuper habita contumaciam tractavimus, scinditur una personarum distinctione divinitas. Quia si spiritus, ut adquiescit, à patre filioque vel mittitur vel procedit, non potest missus mittensque misceri, & ex quo procedensque confundi.

*Vide to. v.
Spicileg. Da-
cher. pag. 115.*

F R A G M E N T A E P I S T O L A R V M
P A V L I N I
E P I S C O P I A Q V I L E I E N S I S .

Paulinus ad Carolum Regem.

*Matth. 5.
Luc. 10.*

M O N E O te & deprecor obnoxè, piissime Princeps, per eum qui Discipulis & Apostolis suis, quorum indigni vicem gerimus, ait, *Vestis sal terra, & Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* ut tu pro nobis contra visibles hostes pro Christi amore Domino opitulante dimices, & nos pro te contra invisibiles hostes Domini deprecantes potentiam spiritualibus armis pugnemus, liceatque Domini sacerdotes juxta evangelicas & apostolicas canonicasque regulas simpli- citer Domino deservire & militare in solis castris dominicis: quia juxta ejusdem Domini vocem ne-

mo potest duobus dominis servire. Et Paulus : Ne-
mo militans Deo implicat se negotijs secularibus , ut
placeat ei cui se probavit. Nemo sibi blandiatur
quid utrumque possit & Deo & mundo servire :
quia veritas est , & mentiri non potest qui hoc fieri
non posse testatur.

Item qui suprà , de rectoribus.

Primum est quòd non verbis bene sed exemplis
malè docent. Secundò , quòd contra divinam vo-
luntatem & sacram institutionem atque apostolicam
& canonicam auctoritatem non tribus saltim heb-
domadibus sed multo tempore ab Ecclesia sibi com-
missa , dimissis propriis sedibus & pleibus , post-
posito divino consilio & auctoritate , postposita
etiam prædicatione , doctrina , correctione , spiri-
tus paracliti adsignatione , & sacra sancti chrisma-
tis consecratione , omnique sacra institutione , in-
retractabiliter abesse non erubescunt , & indifferen-
ter , non utcunque , sed quasi rapaces & milites ar-
morum , ad excitandos & provocandos eos qui san-
guinem effundunt & multa flagitia committunt dis-
currere non metuunt , & qui orando , docendo , &
prædicando populum Dei & Ecclesiam sibi commis-
sam regere Deique clementiam circa genus huma-
num placare debuerant , ipsi è contra malè agendo ,
ut præfati sumus , disciplinam , ultionem , & iram
divinæ animadversionis exaggerare non desinunt .
Ut impleatur illud quod prophetia per spiritum san-
ctum comminatur : *Erit sicut populus , sic & sacer-
dos.* Res Ecclesiæ , quæ vocatæ sunt [vota] fide-
lium , pretia peccatorum , & patrimonia pauperum ,
quibus fideles fidei ardore & Christi amore succensi
ob animarum suarum remedium & cœlestis patriæ
desiderium sanctam ditaverunt Ecclesiam , ut his Ec-

Esa. 24.

Lib. 1. Capitular. c. 77.

364 MISCELLANEO RVM

clesia Dei exornaretur, & milites Christi akerentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum oportunitate redimerentur, rapientes, non ut pastores, sed ut prædones, in militiam & vanitatem mundanam contra jus divinum expendere non dererent. Vnde facillimè conici potest quòd plus terrena quam cælestia diligunt, plus mortales homines quam Dominum metuunt, cum scriptum sit: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Et iterum Apostoli inquiunt: *Non enim oportet nos relinquer verbum Dei & ministrare mensis.* Hinc est quòd nec præcipuis festivitatibus & solennitatibus anni ne saltim diebus quadragesimæ observationis, qui saluti & pœnitentiæ consecrati sunt, & magna devotio ne transfigi debent, in quibus specialiter circa antimarum procurationem propensiùs & adtentius invigilare debemus, in propriis non meremur residen parrœchiis ac civitatibus. pro quo & destitutio divini cultus & prædicatio in pleibus & cura subiectorum negligitur; præsertim cum nec sacerdotali ministerio hujusmodi congruant discursus, nec canonice sit auctoratis. Legitur enim in Concilio Sardicensi capitulo xv. non debere Episcopum à sua Ecclesia plus tribus hebdomadibus abesse. Et capitulo viii. ejusdem Concilii constitutum est quando & pro quibus causis Episcopi ad palatium ire debeat. Legitur enim in Africano Concilio capitulo LXII. Concilium universale non nisi necessitate faciendum Item in eodem, ne Episcopi diutiùs in Concilio teneantur. Legitur etiam in ecclesiastica historia quòd cum Julianus destitutionem religionis Christi veller inferre in Ecclesia, festinabat præfules Ecclesiarum à civitatibus distrahendo suspendere, ut eorum absentia solveretur Ecclesia, & dum qui docerent non essent, per hoc longo tempore paterentur populi propriæ religionis oblivionem.

Act. 5.

Act. 6.

Vide com-
monitorium
synodi A-
quisgran. 2.
ad Pippinum
Regem A-
quit. c. 24.
extremo.

Lib. 5. Capi-
tular. c. 329.

Hist. tripart.
lib. 6. c. 27.

Idem ad Carolum Imperatorem.

Expedit tibi, venerande Princeps, ut exerceas
Prefules ad sanctorum scripturarum indagationem
& sanam sobriamque doctrinam, omnem clerum ad
disciplinam, philosophos ad rerum divinarum hu-
manarumque cognitionem, monachos ad religio-
nem, omnes generaliter ad sanctitatem, primates
ad consilium, judices ad justitiam, milites ad armo-
rum experientiam, prelatos ad humilitatem, subdi-
tos ad obedientiam, omnes generaliter ad pruden-
tiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, pa-
cem, atque concordiam. His & his similibus, viro-
rum optime, Deo tibi propitio, sanctae Ecclesiae fa-
stigium adcumulare non cesses, ut admirabili in re-
rum ecclesiasticarum sive civilium administratione
strenuus & sapientiae fonte redundes & virtutis ex-
hibitione triumphes.

ALCVINI EPISTOLA
AD
KAROLVM MAGNVM.

IN nomine Dei Christi salvatoris mundi. David
Christo Domini Albinus perpetuae pacis & pros-
peritatis in Domino salutem. Sapientia est, ut phi-
losophi diffinierunt, divinarum humanarumque re-
rum scientia, quam, excellentissime Imperator,
religiosissima vestrae humilitatis prudentia diligenter
ab hominibus requirere adsuescit, ut omnium sen-
sus proprio cordis thesauro infundat, quatenus de
hoc abundantissimo divitarum gazophylacio juxta